

T1

*Passio Perpetuae et Felicitatis 2-3***Il martirio di Vibia Perpetua**

**2 (1)** Apprehensi sunt adolescentes catechumeni, Revocatus et Felicitas, conserva eius, Saturninus et Secundulus. Inter hos et Vibia Perpetua, honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, **(2)** habens patrem et matrem et fratres duos, alterum aequem catechumenum, et filium infantem ad ubera. **(3)** Erat autem ipsa circiter annorum viginti duo. Haec ordinem totum martyrii sui iam hinc ipsa narravit sicut conscriptum manu sua et suo sensu reliquit.

**3 (1)** Cum adhuc, inquit, cum prosecutoribus essemus et me pater verbis evertere cupiret et dicere pro sua affectione perseveraret. "Pater", inquam, "vides verbi gratia vas hoc iacens, urceolum sive aliud?". Et dixit: "Video". **(2)** Et ego dixi ei: "Numquid alio nomine vocari potest quam quod est?" Et ait: "Non". "Sic et ego aliud me dicere non possum nisi quod sum, Christiana". **(3)** Tunc pater motus hoc verbo mittit se in me ut oculos mihi erueret, sed vexavit tantum et profectus est victus cum argumentis diaboli. **(4)** Tunc paucis diebus quod caruissem patre, domino gratias egi et refrigeravi absentia illius. **(5)** In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus, et mihi Spiritus dictavit non aliud petendum ab aqua nisi suffrentiam carnis. Post paucos dies recipimus in carcerem; et expavi, quia numquam experta eram tales tenebras. **(6)** O diem asperum! Aestus validus turbarum beneficio, concussurae militum. Novissime macerabar sollicitudine infantis ibi. **(7)** Tunc Tertius et Pomponius, benedicti diaconi qui nobis ministrabant, constituerunt praemio uti paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremus. **(8)** Tunc exeentes de carcere universi sibi vacabant. Ego infantem lactabam iam inedia defectum. Sollicita pro eo adloquebar matrem et confortabam fratrem, commendabam filium: tabescet ideo quod illos tabescere videram mei beneficio. **(9)** Tales sollicitudines multis diebus passa sum; et usurpavi ut mecum infans in carcere maneret. Et statim convalui et relevata sum a labore et sollicitudine infantis, et factus est mihi carcer subito praetorium, ut ibi mallem esse quam alicubi.